

toritatem , atque operam sicui Reipublicæ usui esse posset , obtulit : inde Veneta triremi Adriatico sinu Epidamnum usque enavigato , transverso itinere per Illyricos in Moesiā ad Suleimanum Buda revertentem pervenit .

1541

Interea Cæsar , dum bello Pannonia conflagraret , Ratisponæ comitiis habitis , in quibus multis , quæ ad religionem attinebant , agitatis , nihil definitum fuerat , se ad iter in Italiam comparabat , fama per omnium ora sese ferente , Africanam illum expeditionem meditari , atque ad expugnandum Algerium , Julianam Cæsaream olim dictum , infame piratarum domicilium , ex quo infesta continenter Hispanis maria redderentur , profecturum ; non sine multorum admiratione , quod Pannoniæ regnum , validissimum totius Germaniæ propugnaculum , desereret ; fratrem , undique Turcicis armis circumseptum , ingenti periculo cum ferocissima gente dimicantem negligeret ; Austriacæ domus dignitatem , atque Imperium parvifaceret , ut inde cuncta jam ausuris in christianæ reipublicæ perniciem barbaris nullus satis munitus , ac tutus aditus videretur , atque inter se acriter dimicantibus Regibus , ad augendam communis hostis potentiam novis incrementis firmiora præsidia adjungerentur . Cæsar itaque , Ratisponensibus comitiis dimissis , in Italiam magnis itineribus contendit , in Africam cum classe , & exercitu trajecturus ; neque ab ea expeditione vel Ferdinandi fratris periculo ; vel suorum cum consiliis , qui autumnī tempestates , procellosum mare , aridum , ac desertum solum oculis objicerent , deterrebatur . Atque ut quammaxime posset adversus hostem tutus , & firmus evaderet , Venetos sibi novo foedere adungere , ut Italiam a barbarorum metu solveret , nitebatur ; in id Ferdinando fratre , Pontifice , atque aliis Principibus consensuris . Senatum , ne novis se societatibus implicaret , quæ nuper acciderant , permovebant ; & eo magis , quod Pontifex aversus esse videretur , vel difficilem rei exitum inveterata prudentia prospiciens , vel ne in nova ineunda societate Ascanium Columnam , quem nuper uti Sedis Apostolicæ hostem suis ditionibus exuerat , in gratiam recipere , atque adempta , uti de Cæsare optime merito , Italicæque factionis Principi , restituere cogeretur . Huc accedebat , quod Regum neutri favendo , in spem adducebatur , fo-

*Ratisponæ
comitiis a
Cæsare ha-
bita .*

*Cæsaris in
Italiam
adventus
& ad expe-
ditionem
Africanam
preparatio .
Cæsar Ve-
netos novo
foedere sibi
adungere
nitiitur .*

*Ascanius
Columna
Apostolicæ
Sedis hostis
declaratus .*

re ,